

DILECTO FILIO NOSTRO

ALEXANDRO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI TASCHEREAU,
 ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI ET VENERABILIBUS
 FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
 PROVINCIÆ QUEBECENSIS.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres, Salutem
 et Apostolicam Benedictionem.

Gratissimæ fuerunt Nobis litteræ quas coniuncta
 inter Vos et sententia et voluntate, quinquagesima an-
 niversaria die sacerdotalis consecrationis Nostræ appre-
 tentie dedistis, testes sinceri vestri erga Nos studii et
 intimi obsequii erga hanc Apostolicam Cathedram, in
 qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiæ suæ funda-
 mentum. Hoc sane obsequium non nunc primum inter
 Vos enitet, sed ex eo tempore initium habuit, quo il-
 lustris memorie Franciscus de Montmorency Laval
 primus Quebecensis Sedis Episcopus pastorales in ipsa
 curas suas explicuit, strenuamque in ea operam dedit
 firmis vinculis nectendis, quæ Canadensem Ecclesiam
 cum Apostolica Sede conjungerent. Ratulamur ex
 animo Vobis quod hanc præclaram hereditatem a pri-
 mis Dominici istius agri cultoribus acceptam incolumem
 integrumque retinuistis, nec dubitamus Vobis cordi esse
 ut eam strenue omni tempore tueamini, in qua pignus
 prosperitatis Canadensi Ecclesiæ, et salutare exemplum
 fidelibus quos cura vestra complectitur constitutum est.
 Vestra autem sacerdotalis virtus non modo Nobis ju-
 cundum solatium præbet, sed et facit ut exploratum
 habeamus, Vos studiis consiliisque unanimes constanter
 adlaboraturos ad bonum vestrarum Dioecesium, ad reli-
 gionis rationes promovendas et prosperitatem Academiæ
 Lavallensis curandam, qua magnum istic et salutare